

Ces *Carmina* accompagnent l' *Ars versificatoria*,
publié en 1478-1482, à Paris, chez Antoine Denidel.

AD LIBELLUM RECOGNITUM AUCTORIS PRAELOQUIUM.

C_1 v.1 Ne repetas iterum nostras pannosior aedes ;
2 accipe supremam non rediture togam.
3 Quas prava multum preli vertigine sordes
4 sustuleras nitro tersimus, et latice.
5 Vade. Nec extimeas quos livor devomet angues.
6 Tam nitidus nemo est quem probet invidia.
7 Nil geris obsceni, nec quo se bilis acerbet.
8 Talis es ut prosis vel brevitate. Vale.

AD LIBELLUM SUUM ROBERTI GAGUINI EPIGRAMMATA.

C_2 v.1 Ah ! frustra obloqueris. Cenomani principis aulam
2 ibis. Abi, pulsa parvule tecta liber.
3 I citus. Exigua quamquam dis veste togatus,
4 te bonus ad dominum janitor ire sinet.
5 Sobrius ergo meo dictamine verba repones,
6 et venisse humili nil vereare loco.
7 Cernitur ingentes aestu caldoris anhelos
8 pertenui cervos fonte levare sitim.
9 Te comes illustris curis majoribus actus
10 perferet admissum gratius esse brevem.
11 Ast forte errati si quis te maximus auctor
12 arguet, assurgas et venerare senem.
13 Dic te inter turbas, inter molimina rerum
14 solliciti patris exiluisse domo.
15 Sin contra obtrectet falsa gravitate susurro,
16 grammatis auditor, vanus, ineptus, iners,
17 obsurdesce. Rudes nequeas vicisse relatu.
18 Irrita responsis mens malesana furit.
19 Ceu pecus a stimulo dum calcitrosa repugnat,
20 ringit. Et ad plagas durat iniqua latus.

21 Vade. Benigna tibi successerit aura ferendo
22 et ducibus superis te schola Franca leget.

IN LAUDEM ARTIS IMPRESSORIAE ROBERTI GAGUINI EPIGRAMMATA.

C_3 v.1 Hos quoties sumes, lector venerande, libellos,
2 artificum totiens semper amabis opus.
3 Quod cita vix poterat perscribere dextra quotannis
4 mense dat ars. Nec inest sordida menda libro,
5 pluris erat nuper calamo ruganda papyrus :
6 qua modo praegrandis venit (et) ipse codex.
7 Hoc tulit inventum felix Germania terris
8 artis et ingenii nobile schema sui.

EJUSDEM ROBERTI GAGUINI APUD CORDOBA FEBRE GRAVITER AEGROTANTIS
AD DOMINI SALVATORIS MATREM ORATIO, CUMM ALLIIS QUIBUSDAM EPIGRAMMATIBUS.

C_4 v.1 Si tento infelix et crime sordibus aures
2 nunc pulsare tuas nimium seu urgere, querendo
3 da veniam argenti. Divum clementia nobis
4 te dedit antidotum quaerendae, Virgo, salutis.
5 Tu gemitus, tu vota, preces, suspiria, fletus
6 in nata pietate levas. Te semper egentem
7 uberiore sinu populum curasse fides est.
8 In tua nunc igitur admitte sacraria mater
9 aegroti lacrimas. Moveat te languor iniquus
10 quem tremulo induxit exardens corpore febris.
11 Jam carne exesa pellis rugatur et ipsis
12 ossibus exile vix praebet pendula tegmen.
13 En dolor articulos (extractis nexibus) artos
14 pandit, et obtusi fugiunt introrsus ocelli.
15 Ipsa etiam facies sectatur imagine larvas.
16 Officioque vacant titubentia frigore membra,
17 semianimum fulcro decumbit inutile corpus,
18 nec baculo substantive capit natura juvamen.
19 Sola subest vacuo mens pectore, nescia sive
20 deserat exsanguis, vel adhuc suffulciat artus.
21 Sicne sub extremo voluisti sole Robertum
22 (o totiens miserata parens) occumbere ? Quisnam
23 posteriora feret morienti verba salutis ?
24 Qui funus ducet ? Quis condet inane cadaver
25 busto ? Et tristem animam mandabit in astra vocari ?
26 O si inter dulces, si fidus inter amicos
27 pauca sub egressu licuisset. Non voluere
28 Fata, nec inflexae Parcae voluere. Recedam
29 incuratus, egens supremum affantis amici.
30 Tandemque implacida humabor tellure, perennis

31 incola Celtiberum nulli memorandus. Abito,
 32 Infelix anima, pereuntem Hispania molem ;
 33 servet, et obtritum jam devoret horrida corpus.
 34 Sed perstet (famuli) cineres dispergier austris,
 35 seu mandare freto. Pennis velocibus illi
 36 per juga Pyrenei referent fortasse coactos
 37 Belgarum in sedes. Vel ponti saevior unda
 38 asseris obsequio notam ructabit in algam.
 39 Proderit occiduos quocumque evadere manes.
 40 Tune ergo inflexa mater, mitissima mater,
 41 spectare hoc poteris ? Multum vocitata, refelles
 42 vota precantis opem ? Dubio jam funere, claudes,
 43 hei, gremium misero ? Claudes praecordia servo
 44 exitium patienti ? Tu quondam ultro solebas
 45 ferre manum, relevare pios, miserarier aegris.
 46 Quid nunc laeta gradum differs ? Quid tardius audis
 47 supplicis aegroti miserandos cuique precatus ?
 48 Si forte obnoxam venia haud dignare vocantem,
 49 atque ideo immeritis precibus non annuis, assit
 50 libera quae semper patuit miseratio, quae tot
 51 vel culpa implicitos materna sponte levavit.
 52 Si meritos tantum, quanta est clementia ? Quantus
 53 vulgati dulcoris honos ? Tum viscera nudas
 54 dulcia tum expandis, tum porrigis ubera. Si cui
 55 post scelus admissum redeunti protenus adstas
 56 non planctu emollita pio. Quis grata putabit
 57 quae fletu expresses ? Magni est quidcumque gemendo
 58 torseris. Exsurge ! Non ficta peccamina sano
 59 corde damus. Morimur. Potes, o medicina, dolenti
 60 non praestare manum. Exspectas fortasse querellis
 61 cessisse argentem. Jam desino, nec queror ultra.
 62 At tua per gnati morientis vulnera, perque
 63 virgo tuum nulla violentum sorde pudorem,
 64 perque tibi assuetum miserandi (femina) morem.
 65 (Dum vivacis adhuc trepidant spiracula fibrae)
 66 ocius accedas. Dextram susterne labanti.
 67 Da reditum in patria. Da visere rursus amatos
 68 ut me ipsum quondam socios quondamque sodales.
 69 Pronus in aede sacra celbravit quam tibi Franci
 70 laetitiae titulo numen venerabor et aras.
 71 Ipse ego fulgenti mater face casta litabo,
 72 exsolvam et gnato divi libamen honoris.

CHRISTOPHORO GAGUINO FRATRI DE TRIBUS VIIS HUMANAE VITAE.
 CARMEN SAPHICUM ADONIUM.

C_5 v.1 Ut viam tuto properes salutis,
 2 semitas, frater, meditere vitae.
 3 Itur hac caelo. Reliquae deorsum
 4 infera pandunt.
 5 Asperant summam scopuli frequentes.
 6 Hic furens ardor nimii decoris,
 7 et pavor torquet subitus ruinae,
 8 spes et habendi.
 9 Nulla ibi menti requies avarae.

10 Fraus, dolus, livor, labor et tyrannis
11 sauciant punctim cruciantque semper
12 hac subeuntem.
13 Se super fertur comites perosus.
14 Diceret forsan superis duellum.
15 Tolleret caelos, raperet tribunal,
16 ambitus urens.
17 Hocce progressu videas ruisse
18 Caesarem quondam medio senatu,
19 urbium factus, populos feroces,
20 regna tyrannos.
21 Ruppibus nixas quatit aura pinus,
22 et sua turres gravitate nutant.
23 Fertur et praeceps violentus ardor
24 imperitandi.
25 Beluis certe nihil ipsa differt
26 nec quidem probris vacat aut reatu.
27 Praegravat corpus sopor, igneasque
28 otia mentes.
29 Blanda vel pigrum stimulat libido,
30 vel dicax foedo vomit ore probrum.
31 Vel dolum versat, vel iners cibatu
32 stertat in umbra.
33 Non foro natus nec agris colendis,
34 nec procul tecto jaculum vibrare.
35 Consulit numquam patriae labanti,
36 sed nec amicis.
37 Se terit tamquam Calibem senecta :
38 advenit terris, migrat inde totus.
39 Ceu pecus die rationis expers
40 nescia famae.
41 Perdidit fasces Syrus ille ductor
42 incubans molli gremio puellae,
43 et gravi leto didicit laborem
44 Sardanapalus.
45 Profuit nulli residem fuisse.
46 Viluit semper tremebunda virtus,
47 cum domi segnis peragit fluentis
48 saecula vitae.
49 Ergo nec celsos rapias honores,
50 desidem nec te videat caminus.
51 Ultima haec obsunt quibus astinebit
52 praescia virtus.
53 Cautior factus sceleri periclis,
54 pervides quae sit via recta, frater.
55 Terror est nullus mediam teneti,
56 culpa nec error.
57 Haec tibi curas adimet nodentes.
58 Afferet menti solidam quietem.
59 Haec frequens votis humilis veretur,
60 templa deumque.
61 Quaerit et vitae : miseretur aegris.
62 Admonet sontes, fovet et pusillos.
63 Patriae servit, socios honorat,
64 curat amicos.
65 Prosperi non se nec honore tollit,

66 nec malam sortem lacrimosa luget.
 67 Perstat in semet, meditata longe
 68 temporis iras.
 69 Horridam dices aditu quid illic ;
 70 dura paupertas vigil elaborat
 71 et sequax veri macies severa,
 72 dux sit eunti.
 73 Inde si transis, nimium suaves,
 74 fert iter fructus, quibus assuetus
 75 despues mundi, fluidos nitores,
 76 sarta, choreas.
 77 Hac fides robus tulit et decorem.
 78 Hac polum multi rapuere fortes.
 79 Haec precor, frater, monitus subito,
 80 dum valet aetas.

DE NATIVITATE NOSTRI SALVATORIS.

C_6 v.1 Nec limum aut cineres spiracula sumere vitae
 2 miror. Adest majus fit nihil omnipotens.
 3 Quae non astra ferunt nec pontus nec capit aether
 4 signato exhibuit ventre Maria deum.
 5 Vita, vigor rerum, speciosi gloria mundi,
 6 femineo obsequio carne volutus eget.
 7 Natus inops vagit, pannosus ab ubere pendet.
 8 Pendit et edicto Caesaris aera novo.
 9 Cur sic ? Divinis tribuent humana decorem,
 10 efficiet liquidum densior umbra polum.
 11 Sic tulit infelix miserandi noxa parentis.
 12 Quem tamen ut redimat ; fit deus auctor homo.
 13 Ille deo tumidus sprevit parere jubenti.
 14 Hic rerum princeps paret et obsequitur.
 15 Se super elatus ruit ille, ruere sequaces.
 16 Per fenum et stipulas hic rapit astra cruce.
 17 Sic longe adversa posita est ad vunera cura
 18 et sensere humiles parva decere pios.

DE EO QUOD SCRIPTUM EST : MULIER AMICTA SOLE ET LUNA SUB PEDIBUS EJUS.

C_7 v.1 Est visa in terris caelesti semine foeta
 2 Virgo, nec effregit viscera casta pudor.
 3 Hanc circum irradians vestibat lumine Phoebus.
 4 Subter erat teneros clara Diana pedes.
 5 Stella coronabat roseos bissena capillos,
 6 nigra tenebrarum nubila discutiens.
 7 Hanc possis vere Christi dixisse parentem,
 8 nam virtus habet omne Maria jubar.

DE TINTINNABULO DOMINI MILONIS DILLERS, CARNUTI EPISCOPI.
CAMPANA LOQUITUR.

C_8 v.1 Me, sacer antistes ut signem tempora Milo
 2 flavit, ago lites, prandia, connubium.

3 Praesulis egressum cunctis praenuntia signo,
4 sic ego Milonem saepius icta Canam.

AD DOMINUM JOANNEM DE BEAUVOIR ANDEGAVENSEM EPISCOPUM.

C_9 v.1 Credita multa prius quae de te magna ferebant.
2 Andegave pater, cernimus aucta nimis.
3 Antiquae historiae et rerum praedives abundas
4 et graviter dictis quae jacuere levas.
5 Ecce tibi Roma cedit superata loquendo.
6 Vel genitus Maia cesserit ille tibi.
7 Perge, decus Ligeris, conscendens sidera fama,
8 et fato ereptus stabis in ore virum.

INSTITUTA VENALIS ALLOQUITUR EMPTOREM.

C_10 v.1 Quisquis ades legum casto praeventus amore,
2 quique optas maneat nupta pudica domi,
3 me lege connubio generoso patre puellam.
4 Parvula sum, et gnata Justiniana vocor.
5 Multa meus genitor ad dotem praedia gnatae
6 contulit, et genero percumulavit opes.
7 Est revelare meorum quid legum nota signent,
8 quid plebs, imperium rexque, senatus agat.
9 Quaeque vetusta libris jussere volumina priscis,
10 haec super effuso porto refusa sinu.
11 Fida coma sivis, sivis servabo penates.
12 Nil erit in nobis quod muliebri vomas.
13 En jam pro foribus extrusa et nubilis assum,
14 ex pacto si quis forte maritus erit,
15 me parvo abduces, parvo nutribis amatam.
16 Cujus ab uberibus lac tibi melque fluat.

LODOICO XANTONUM EPISCOPO.

C_11 v.1 Si me, praesul, amas, si vis perstare beatum,
2 ne vatem appelles liberiore joco.
3 Invidiosa nimis geritur res ; est prope dignum.
4 Compede, Musarum consenuisse toro.
5 Mox aderit quisquam nimium cerebrosus, et audax,
6 Scotides argutus, plus muliere dicax.
7 Hem scelus. Hic praeter sacrorum jura, poeses
8 devocat ex Nysa, numina prisca colit.
9 Cedat. Et immundo non foedet pulpita cantum.
10 Sic lippa est, rutilo sidere laesa furit.
11 Ergo mihi et Misis quae possum forte canenti
12 nominis et tituli nil, pater, addideris.

VERSUS QUEMDAM ILLIBERALEM ALLOQUUNT.

C_12 v.1 Cedat, et immundo non foedet pulpita cantu,
2 quo potuit Circe fallere corda dolis.

3 Sic bacchatur iners per scaenas turba cleantum,
 4 sic lippa est, rutilo sidere laesa furit.
 5 Ergo mihi, et Musis quae possum forte canenti,
 6 nominis et tituli nil, pater addideris.

VERSUS QUEMDAM ILLIBERALEM ALLOQUUNTUR.

C_13 v.1 Si nimis audaci pulsamus limina fronte,
 2 parce, nec in servos asperiora refer.
 3 A foribus saepe non exauditus abivit
 4 qui modo te noster auctor adire iubet.
 5 Nunc forte angusta patuit dum janua nobis,
 6 vix superest pressis poste revulsa toga.
 7 Si placet admissos, breviter commissa loquemur,
 8 sin contra, est vetitis fas remeare domum.

AD QUEMDAM QUI DE AMORE HOC DISTICHON SPARGEBAT IN VULGUS.

C_14A v.1 Nescio quid sit amor. Nec amo, nec amor, nec amavi.
 2 Sed scio : si quis amat, uritur igne gravi.

RESPONSIO PER CONTRARIUM.

C_14B v.1 Expertus didici quid amor sit. Semper amavi,
 2 et mihi blandus amor, blandior usque fuit.
 3 Uror ut ipse volo nec amoris flumina desunt,
 4 quae suaves flammam imbre rigent placido.

DE CEREALUCERNA BICOLORI.

C_15 v.1 Discolor haec lampas rubro praetendit amorem,
 2 praetendit candor integritate fidem.
 3 Haec virtus animo in forti si bina manebit.
 4 Surget ad aethereos splendida flamma choros.

DE EADEM.

C_16 v.1 Cereus ut late flammis et luce coruscat,
 2 sic opere et meritis inclyta vita nitet.

AD JOANNEM SAUTETUM THEOLOGUM DOCTOREM.

C_17A v.1 Garrula cum nuper Sautetum fama referret,
 2 se tandem in nostros contulit ampla lares.
 3 Non qualis Bavio, sed maxima quanta Sophocli.
 4 Versibus excelsis clara perenne volat.
 5 Me pudor invasit, cum quae vicina sonabant.
 6 Vix mihi surdastro noscere musa dabat.
 7 Sed neque theologum fidei quem fervor adurit
 8 audieram Aoniis velle coire choris.

9 Ibo, inquam, et plenum venerabor Apolline vatem,
 10 Gallia quo Ligures vincat et Ausonios.
 11 Gratulor ergo tibi Mysis, dilecte poeta,
 12 quem numeris clarum Clio canora facit.
 13 Sed quo semper eas felici carmine major,
 14 dic quae Maeonidem patria certa tulit.

RESPONSIO PER SAUTETUM.

C_17B v.1 Scotus aquinatem non tanto pulsat Achille
 2 Sautetum quanto, magne Gaguine, feris.
 3 Divinos latices sancto sub principe Thoma
 4 Flaurio quos reliquis fundere mente sedet.
 5 Pierius calor ipse meum non contigit umquam
 6 pectus, adest nulla Musa vocata mihi.
 7 Sautetum placidus numquam cognovit Apollo ;
 8 promere tam vilem barbariemque pudet.
 9 Te lepos ipse aluit, tibi nupsit summa poesis.
 10 Sat mihi sit ferulae supposuisse manum,
 11 dum Thomam relego, dum nescio prorsus Homerum,
 12 quae sit Maeonidis patria certa petis.
 13 Quod petis, hoc nosti. Varios sibi sors dedit ortus
 14 huncque refert civem Graecia tota suum.

AD OCCULTUM DETRACTOREM.

C_18 v.1 Herculeus labor est linguacibus obdere pessu,
 2 expurgare prius desinet auca nates.
 3 Ecce iterum latitator iners surrepit ab antro.
 4 Atque venenata sibila devomuit.
 5 Mox raptim fugitans colubro non impar in umbra
 6 suspectat, quanti vulnus inane putem.
 7 Haec responsa ferat. Mecum non pugno, sed hosti
 8 dum patet aut vero nomine notus agit.

PETRO BURY CANONICO AMBIANENSI.

C_19 v.1 Petre Musarum memorande cultor,
 2 carior nobis opibus beatis,
 3 usque quo incertis animis feremur,
 4 morte propinqua ?
 5 Vivimus mentis nimis impotentes.
 6 Nil stat impressum probiter. Volentes
 7 nolumus quicquam dubii bonorum.
 8 Proh vagus error.
 9 Pronus it cyclus properantis aevi,
 10 tollit incatos inopina finis.
 11 Nec fere quisquam repetit sagacis
 12 commoda vitae.
 13 Nos rapit lucrum trahit et libido.
 14 Nil minus vera petimus salute.
 15 Luce donandi colimus tenebras
 16 carnis iniquae.

17 Sed diu pigros tenuit veternum.
 18 Ad dei laudes moniti ruamus.
 19 Qui citans pansis manibus morantes
 20 a cruce pendet.
 21 Ille peccatis adhibet medellam.
 22 Excitat segnis animi sopores.
 23 Auget et robur. Veniam rogemus,
 24 Petre, gementes.

AD EUMDEM.

C_20 v.1 Ite meo Petro dicturi ex corde salutem,
 2 Petro cui divus carmen Apollo dedit.
 3 Nec tenuis pudeat vestitos forte togellae,
 4 cum nulla est sordes, vel caro nuda placet.
 5 Cudimus haec raptim votum incendente maria.
 6 Currite, lux caelo permicat, ite citi.

AD DIVAM MATREM SALVATORIS.

C_21 v.1 Virgo cui tellus, cui pontus servit et aether,
 2 da stabilem sine labe animum, da corpus opimis
 3 viribus integrum, patiens algoris et aestus.
 4 Cetera quae fluitant vario discrimine sortis
 5 et labor, et cura, et sollers industria quaeret.

AD DETRACTORES VULERMI TARDIVI.

C_22 v.1 Hactenus est lusus. Linguas frenate jocantes :
 2 carta nec a valvis pendeat ulla meis.
 3 Non locus hic rixas, sed sancta silentia poscit.
 4 Et quae animum curant sobria verba Dei.
 5 Quis vos saevus agit torquens discordia livor ?
 6 Tantine est merces vocis iniquiloquae ?
 7 Discipulum decuit monitus audire jubentis
 8 Tu, parce, et vere pulpita rhetor agit.
 9 Ast sibi Tardivus nimis arrogat : exscreat omnis
 10 rhetoras, et se fert vaniter ad superos.
 11 Vox nulli recta est. Solus praecepta loquendi
 12 callet, agit causas, urget, inescat, ovat.
 13 Unius in lingua vitio sine, fluminis instar,
 14 decurrit sermo, purus, amoenus <...> ; (vers lacuneux)
 15 astrinxit paucis annosa volumina cartis
 16 quae faciant quinto rhetora quemque die.
 17 Et damnat priscos, et marcum rabula carpit.
 18 Non sero jactantis tam pudibunda viri
 19 esto. Fuit semper fandi censoribus hic mos.
 20 Da veniam : laudis ossibus haeret amor.
 21 Audi, disce, fave. Dat vires plausus eunti ;
 22 laxat aquas nubes excita flaminibus.

AD PETRUM BURY CANONICUM AMBIANENSEM. CARMEN ASCLEPIADEUM.

C_23 v.1 Quid te versiculis ut queo mollibus
 2 numquam permoveo ? Sed tacitus siles.
 3 Et tantum auribus, et iudice corculo
 4 appendis numeros leves ?
 5 Censen nos paribus ludere fistulis
 6 illi qua celebris mintius intonat ?
 7 Non saxis canimus, nec trahimus feras,
 8 sed te Pierium senem.
 9 Te miris superos Nysa canoribus
 10 et vidit satyros flectere suaviter.
 11 Et me saepe lyra, dum residet sopor,
 12 ultro comiter excitas.
 13 Nunc pulsus resona vel mihi tardulo.
 14 Si post laetus ager temperet aestibus,
 15 proludes calamo tutior ad gregem :
 16 aequum postulo, mi Petre.

JOANNI ANDREAE FERABOS POETAE LAUREATO.

C_24 v.1 Magna repromittis caelesti voce, Joannes,
 2 unde queant linguae pergere culta loqui.
 3 Sic potuit silvas duris cum cantibus Orpheus
 4 Infernumque Jovem flectere carminibus.
 5 Ast dicam ingenuae nullo blandimine verum.
 6 Nostrates spernunt Nestoris ore trahi,
 7 sunt nugae quaecumque Maro, quaecumque beatus
 8 dixerit orator, si licet Isocrates.
 9 Ingeniti fateor est illis, quale per orbem
 10 non aliud forsan celsius invenias.
 11 Sed linguae et verbi tantum modulamina curant.
 12 Quatenus ad Scoti scripta legenda sat est.
 13 Si quis aquas Heliconis amat vel numina, rident.
 14 Laeserit ille fidem quem juvat illa sequi.
 15 Et quos principio tibi spectas esse faventes,
 16 protenus ad summum tertia lux abiget.
 17 Difficile ingreditur regina oratio mentem
 18 vestibulo cujus nulla Thalia sedet.
 19 Hinc probat a mammis lalasse rudimina rhetor,
 20 quem bene dicturum gloria celsa manet.
 21 Haud tamen idcirco frustra per pulpita cantas :
 22 unus et alter erit quem tua scita trahant.
 23 Et jam post Latio tibi partam carmine famam,
 24 nominis ipsa tui Gallia testus erit.
 25 Te quoque (ni pudeat Gallo cantarier ore)
 26 dum vita exstabit versibus ipse canam.

DOMINICUS MANCINUS RO. GAGUINO S.D.

C_25A v.1 Caedua silva mihi surgit, sed acuta bipennis
 2 est tibi : tum durae falcis acumen habes.
 3 Si stipes peccat, dura concide bipenni.
 4 Si fruticant rami, falce secare velis.

5 Stipes erit totus, si non placet, ipse revulsus,
6 nec sine de ramis luxuriate comas.

IDEM AD EUMDEM.

C_25B v.1 Digna tuo ferro vereor sit silva recidi.
2 Sed potius flammis illa abolenda tuis,
3 aut Jove sub pluvio ne sit compulsata natare
4 inscia, quae flammam semper et odit aquas.
5 Te, Vulcane, precor, precor et tua numina Tethys
6 ut silvae parcas arboribusque meis.
7 Si tamen ipse furor cogit, scitote quod una
8 si per vos pereat, altera silva subit.

AD DOMINICUM MANCINUM RESPONSIO.

C_25C v.1 Ignibus aut rapido ne mandes flumine mergi
2 quae, Mancine, facis carmina digna Jove.
3 Amphiona ferunt Thebarum moenia cantu
4 et silices duras exagitasse lyra.
5 Numina sic potis es, vel taetros flectere manes,
6 Tam purum et dulce conficis arte melos.
7 Non ergo audebo saeva temerare bipenni
8 quos deceat lucos relligione coli.
9 Se tollant potius laetis ad sidera ramis.
10 Atque his Idaeum cedat et omne nemus.
11 Hic satyri ludant, et tangant plectra Napaeae.
12 Delius arguto pollice carmen agat.
13 Si me (crede) tui versus, Dominice, levarunt,
14 ut solet aegrotos dum venit alma salus.

AD DIVAM MARIAM SALVATORIS MATREM.

C_26 v.1 Non satis audenter tibi, Virgo, nescia sordis
2 sordibus ipse malis debita vota fero.
3 Sed me sumpta salus, evicto funere, cogit
4 te benefactricem laudis honore sequi.
5 Decumbebat iners tremulo spiramine corpus,
6 atque efeta caro mortis agebat iter.
7 Tu precibus clamata meis, tu, Virgo benigna,
8 protenus ad robur languida membra vocas.
9 Haec ope defensus, grates et munera pono,
10 atque aram et numen pronus adoro tuum.
11 Tu post hac si morbus erit ; festino medetor,
12 ne cum carne ruat mens superata malis.

ADOLESCENS SENEM ALLOQUITUR.

C_27A v.1 Dic, venerande senex, humanum vivere quid sit.

SENIS RESPONSIO.

C_27B v.1 Transitus in mortem, curae plenusque laboris,
2 ni soletur amor, spesque, fidesque Dei.
